

1487. Ultimi Julii

Transumptum

Ex Monast. Kopyeż.

349.

Stephanus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitia, Kujoviae, Volhyniae, Gallachiae, Livoniae etc. nec non Princeps Transylvanicae. Significamus his Literis Nostri quorum interest, universis et singulis earum notitiam habituris. Productas et monstratas fuisse coram Nobis nomine Mansionarium Ecclesiae Collegiatae Sandominiensis Literas Divi Casimiri Regni Antecessoris Nostri laudatissimi in charta membranacea conscriptas, subscriptione Czeslai Cancellarii et appensione sigilli minoris munitas, integras, non vitiatas, omniq; sine ulla suspicione carentes. Supplicatum quoq; simul Nobis est, ut easdem, et omnia in illis comprehensa auctoritate Nostra Regia approbare et confirmare dignaremur. Perro tenor eorum Literarum de verbo ad verbum fuit iste. In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum Christiano Principi nihil magis dignum et convenientius videatur esse, quam ad ea, quae pro cultu Divino, aut Ministris Ecclesiae jugi studio, et continua orationum decantatione Deo famulantibus erogantur, auctoritatem et admisionem Regiam liberaliter, benigneq; nedum adiacere et adhibere, verum etiam pia cujuslibet opera promoveri, aut exinde in presenti agibilium suorum omnium prosperitatem, et in futuro beatitudinem consequi mereatur. Proinde Nos Casimirus Dei Gratia Rex Poloniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandominiae, Siiradiae, Cujaviae, Lanciciae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, ac Culmensis, Obingensisq; Pomeraniae Dominus et Haeres etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis et singulis, praesentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quia Nos annuentes Reverendi in Christo Patris Domini Joannis Episcopi Cracoviensis sincere Nobis dilecti, postulacioni intercessioniq; diligentis pro parte Venerabilis Petri Lucae de Sandominia Praepositi Rathiboriensis volentis non nihil de ipsius Paternis Bonis ad Divini Cultus augmentum erogare, factis, de certa Nostra scientia, deliberationeq; et virtute Regia, eidem Petro Lucae de Sandominia Praedium ejus hereditarium Paternum Lukaszoyski dictum in ante-urbis Civitatis Sandominiensis ad Valvas, quibus in magnam Opatois iter, inter agros advocatiae ex una et famosi Sigismundi Civis Sandominiensis partibus, ex altera situatum, cum agris, Pomario, Horto et Prina ad Praedium illud pertinentibus honorabilibus Mansionariis, Congregationiq; toti eorum in Capella Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae Sandominiensis, jam dudum institutorum et existentium, ratione certarum piarum precum, et orationum ad Dei Omnipotentis Clementiam pro Anima Parentum et ipsius Petri, juxta Ordinationem in Spirituali Judicio faciendam.

115

decantandum, dandum, donandum, eisdemq; Mansionariis incorporandum,
uniendum, et in viscerandum consensimus et admisiimus consentimus et ad-
mittimus tenore presentium mediante in perpetuum per ipsos Mansionari-
os et Conventum seu Congregationem ipsorum iuxta Donationis descri-
ptionem in seculari foro faciendam, tenendum, habendum, possidendum,
et uti fruendum pacifice in ævum. Quod quidem Prædium cum agris, Horto,
Pomariorum et Piscina prædicta Jurisdictioni et Immunitati Ecclesiasticae ascri-
bimus et annectimus decernentes, quod Potestate et Juri Ecclesiasticis subja-
cere debeant ex tunc in perpetuum. Nostri tamen, et Civilibus Juribus, quo-
ad consuetudinem et censuum redditionem satisfactionemq; remanentibus
salvis. In cujus rei testimonium, Sigillum Nostrium est presentibus sub appen-
sum. Actum Cracovia Feria secunda post Festum Sancti Jacobi Apostoli.
Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Octuagesimo Septimo. Presenti-
bus ibidem Reverendo in Christo Patre Domine Joanne Episcopo Cracoviensi præ-
fato. Nec non Magnificis Venerabilibus Generosis Avenis, et Nobilibus Jacobo
de Dąbno Castellano et Capitulo Cracoviensi, Debestas de Hurzwanli de
latine Lublineris, Ambrosio de Rąprow Rosperienis Castellano, Czesław de
Hurzwanli Cancellario, Petro de eadem Hurzwanli Thesaurario, Georgio de
Subranz Vice-Cancellario Regni Nostri, Signes de Żywiec Succamerario, Nico-
lao de eadem Żywiec Prædifero Cracoviensi, Stanislaw de Bzresce Curia Nostri Ma-
reschalo, et aliis pluribus fide dignis testibus circa præmissa. Datum per Ma-
nus Venerabilis Czesłai de Hurzwanli Regni Nostri Cancellarij, sincere Nobis
dilecti. Relatio Venerabilis Czesłai de Hurzwanli Regni Polonia Cancellarij.
Czesław Cancellarius Regni Polonia. Nos itaq; supplicationi illi Nobis factæ
benigne annuentes præinsertas literas, omniaq; et singula in iis comprehensa,
Auctoritate Nostri Regia, quantum tamen Juri publici rationes permitterent, ap-
probandas et confirmandas esse clauimus, uti sane per presentes Literas Nostrias
approbamus, confirmamus roburq; et pondus suum justum et debitum perpe-
tuo obtinere debere decernimus. Cupientes præterea Benignitatis et Clementie
Nostri Regie, in ipsos Sandomirienses Mansionarios in perpetuum immunitatem
ex stare, pro Nostri in Ecclesias eorumq; ministros a nemine pro pensione illud ipsum
Prædium in præinsertis Divi Casimiri Regis literis specificatum, ab omnibus
censibus et pensionibus Civilibus ac oneribus etiam quibusvis, nullis proxiis ex-
ceptis, liberum, immune et absolutum in perpetuum facimus, et pronunciamus, ab
omni Potestate Civilis Magistratus Sandomiriensis, sed illud iuxta præscripta
Privilegij Divi Casimiri Immunitati et Libertati Ecclesiasticae, ascribimus et

et incorporamus. Volumus tamen illud teneri ad Contributiones publicas, lauda-
tas et laudandas. Harum testimonio literarum, quas in fidem praemissorum Ma-
nu Nostri subscripsimus, et sigillo Nostri muniti mandavimus. Datum Cra-
covie die secunda Mensis Decembris, Anno Domini Milleimo Quingentesi-
mo Septuagesimo Octavo. Regni vero Nostri Anno tertio. Stephanus Rex impa-

L.S.

